









1720.

1. Aversvalda, Dr. Ernestus: De eo, quod lege natu-
rali pro fidei sociis propter religionem afflic-
tis justum est. Lectri bene.
2. Borkinellerus, Geth. Christ. Ord. Fel. Decanus: De eo, quod
voto s. p. d. (ad Disputationem solemnem Gethelph. Pr. Senxi Krausii
~~lege naturalis pro fidei sociis~~
invitat.)
3. Borkinellerus, Geth. Christ. Ord. Fel. Decanus: Lectri bene.
voto s. p. d. (ad Disputationem solemnem Christiani Hauss-
cii invitat.)
4. Borkinellerus, Geth. Christ. Ordinis Fel. Decanus:
(ad Disputationem solemnem Christiani Gethelph. Pr.
invitat.)
4. Borkinellerus, Geth. Christ. Ordinis Fel. Decanus:
(ad Disputationem solemnem Christiani Gethelph. Pr.
invitat.)
5. Borkinellerus, Geth. Christ. Ordinis Fel. Decanus:
De vitio libelli.
6. Borkinellerus, Geth. Christ. Ordinis Fel. Decanus:
De differentia cons-
um receptorum a propriis eorumque natura et
effectu. 2 Exempl.
7. Berger, Christophorus Henricus, De: De jure per 2

Sonatum, quae vulgo carvas seu mascheros
Sictiles. . . - Von Cornuel - Recht.

8. Bergius, Fr. Gottfried; Rector a. cat. Wittenber-
genis: Civibus academicis salutem plurimum
sicut etiamque ad decorem feriarum particu-
larum celebrationem humiliter iuravit.

9. Bergmann, Fr. Christian: Apologiam iniuriantiae
verum bibliothecam Academicam Halle-
lem. disput. posteriori. . . - vindica-
brunt.

10. Hansen, Martinus: Apologiam iniuriantiae
verum bibliothecam Academicam Hallelem.
disput. priori. . . placide. . . Dis-
quisitioni submittet.

11^{te} Krausius, Fr. Gottfr: De concione Decimarum
Germanis Prob. Prædixt - 29. Sept.

12. Menckler, Gtfr. Ludovici: De eo, quod iustum est
circa iurisdictionem solennem.

13^a = Menckler, Gtfr. Ludovici: Observationes circa

14^a ^{Thurochimid} ~~procurum~~ Saxonicum 2 Sempl.

14^b Vater, Abraham: Dissertatio inauguralis Chirur-
gica medica, qua vulnere in intestinis . . .
Cekhalitas . . . placidae . . . disquisitioni
exponitur.

15^a Vater, Abrahamus: Dissertatio inaug. medica, qua
methodus nova transplantandi variales per irri-
tionem Vis Blethker - Baltzer . . . placide eru-

15^b ^{Thurochimid} ~~Vater, Christianus~~:
Vater, Christianus: exponitur.

16. Pollack, Fr. Gottl. : De nobilitatis nobilitumque
privilegiis

17. Windlerus, Fr. Friedr: Programm, quo de veteri
et nove arteminiacae doctrinae discordia et
prohæbitioem arteminicarum publicarum auspicia
trahit.

18. Wrotker, Fr. Baltas : De usu beneficii
liberandi aliorumque juris Romani expo-
situm.

19. Wichmannshausen, Fr. Christophorus : De divicia-
Lombard. babiloniorum.

107.
194.
THESES ^{Q. D. F. E. I.} INAVGVRALES
DE

1724

15
12

EO, QVOD IV-
STVM EST CIRCA IN-
VESTITVRAM SOLENNEM

P R A E S I D E

GODFR. LVDOVICO
MENCKEN

D. PROF. PVBL. COLLEGIORVM IVRIDI-
CORVM QVAE VITEMBERGAE FLORENT
NEC NON IVDICII PROVINCIAL. IN MARCHIO-
NATV LVSATIAE INFERIORIS
ASSESSORE

PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES
QVANDO COMMODVM ERIT CAPESSENDI

D. FEBR. 15 15 CC XX.

LOCO ET HORIS CONSVETIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT
PARITER AC TVETVR

M. CHRISTIANVS HANACCIVS
VITEMBERGA-SAXO

VITEMBERGAE

TYPIS CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYP.

THESES INVAUGURALES
G. D. A. S. S.

EO, QVOD IV.
STVM EST CIRCA IN-
VESTITVRAM SOLEMNEM

GODFR. LADOVICO
MENCKEN

D. PROF. PUBL. COLLEGIORVM VIRIDI-
COEVAE QVAE VITIMBERGAE FLORENT
ACCOM. IUDICI. PRO. VINC. B. MARCO. C.
NATV. I. M. A. T. I. O. N. I. S.

PRO LICENTIA
STIMOS IN VITTOVE IVE DONORER
QUANDO COMMODV EIT CANTINM
D. P. R. O. F. C. A. S. S. I. A.
I. O. B. E. T. H. O. R. I. O. N. I. S.
P. U. B. L. I. C. O. E. X. A. M. I. N. I. S. S. I. M. I.
L. A. T. I. N. A. C. A. S. S. I. A.
M. CHRISTIANVS HANACKIUS
VITIMBERGA-SASS.

VITIMBERGAE
TYPE CHRISTIANI SCHROEDERII AD. 17.



PROOEMIVM.



Urſu tandem diligentiae meae
Academicae, diuini Numinis
auſpicio, feliciter confecto,
mihi, ad metam nunc prope-
ranti, ac de ſpecimine quo-
dam inaugurali meditati,
in tam magna luris ſylua re-
rumque copia, praeter cetera, ſolenne infeudan-
di negotium et commentatione et diligentia om-
nino eſt dignum uiſum, inprimis, cum argu-
mentum hoc, tam elegans et nobile, niſi me om-
nia fallunt, a nemine, quantumuis ceteroquin
hodie plurimorum, de hoc doctrinae genere, be-
ne merendi flagrans ſit ſtudium mutuumque cer-
tamen, adhuc fuerit occupatum et ex inſtituto
pertractatum. Cuius rei duas potiffimum cau-
ſas eſſe, exiſtimo: primo enim plerique, argu-
mentum hoc iucundum quidem et curioſum,
minus uero utile, reputant, eſſe, eamque ob cau-
ſam, ſi forte incidant in illud, excurrendique, uti
par eſſet, locus et occaſio omnino detur, leuato
quaſi uelo, rem praetereunt; alii denique, ſuis
perſonis non eſſe ſatis dignum hoc argumenti ge-
nus, iudicant, illi uidelicet excellentiſſimi Viri,
qui rebus, tam notis in uulguſ, uti ſolennitates

inuestiturae, semper fastidire, et ea tantum, quae reliquorum hominum peruestigationem effugiunt, pertractanda, sibi suscipere, solent. At enim uero, cum ego, siue ipsum ius beneficiarium, passim, per has res, illustrandum, siue controuersias, in communi uita, de integris saepe regnis, prouinciis ac ditionibus, coortas, hisque interdum maxime subsidiis, dirimendas et componendas, spectem, de thematis huius dignitate pariter et utilitate, prorsus et omnino sim persuasus, neq; cum illis magni Nominis uirorum conatibus me resque meas, tam exiguas et mediocres, conferre ullo modo et comparare possim, rei cuidam, uulgari quidem, attamen utili et sat eleganti, operam industriamq; impendere perplacuit, et ipsis illis rebus, quae Augustissimi identidem Imperatoris, ac Regum, Principumque, aulas et curias splendore suo et pompa replent, museum meum, actumque hunc inauguralem, illustrare atque exornare, haud dubitauit. Reliquum est, ut Tibi, Lector beneuole, de conatu meorum summa paucis exponam, tibi que, quare, in pertractando ipso hoc argumento, tam breuis sim, rationem reddam. Etenim argumenti huius ratio tam late patet, tantosque habet recessus, ut certe, si iusta persequendi methodo uterer, me non disputationem, sed librum integrum, conscribere oporteret.

reret. His rebus permotus, cum ego, summos, in utroque iure, honores ambiens, publice disputandi materiam nunc suppeditare debeam, nonnulla, ex hac rerum affluentia, selegi ac disceptationi accommodavi, uberiorem uero huius tam elegantis thematis pertractationem, si Deus fuerit annueritque, in lucem sum propediem editurus. De cetero Te, Lector beneuole atque, pro dignitatum ratione, suspiciende, etiam atque etiam rogo, ut, si forte, uel expectationi Tuae facere satis, uel ipsius argumenti dignitati respondere, alicubi haud ualuerim, conatus tamen meos Tibi quodammodo comprobari, perbenigne sinas atque patiari.

THES. I.

Iuri Feudali Longobardico, licet illud haud sit, in Germania, dubiae autoritatis, inter fontes tamen thematis nostri, ultimus est relinquendus locus.

THES. II.

Vfus equidem rituum, solennitatum ac symbolorum, apud multas gentes, in uariis earum negotiis, pacis bellique tempore, conspicitur, res tamen haec, quod ad feuda attinet, est origine Germana.

THES. III.

Indoli enim nostrae antiquae omnino congruit, uerbis aut plane nullis adhibitis, aut, praeter eadem,

dem, in declaranda mentis animique sententia, signis identidem ac nutibus uti.

THES. IV.

Neque haec sane mirifica, sine uerbis, loquendi ratio, quae maioribus nostris, id, quod gererent, per facta potissimum, in oculos incurrentia, memoriae mandare solitis, placuit, literarum eisdem fuisse rudes, probat.

THES. V.

Germanos literarum fuisse ignaros, Tacitus, dum c. 19. de M. Germ. literarum secretorum mentionem iniicit, non affirmat.

THES. VI.

Inuestitura dicitur, a uestibus solennibus, *denen Lehen-Kleidern*/ quibus Vasalli, in ipso solenni inbeneficiandi negotio, erant induti.

THES. VII.

Unde inuestire est induere ueste clientelari, germanice *inwesten*/ quasi *einkleiden*: id quod Latii Germaniaequae, hac in re, linguarum harmoniam firmat.

THES. IIX.

Sola uox inuestiturae, si alicubi occurrat, indubitato haud arguit rationem feudalem, iure enim germanico, huius uocabuli usus ad ipsa quoque alodia est translatus.

THES. IX.

Inuestiturae uariae sunt notae diuisiones, sed noua est, ex iure germanico, substituenda, uidelicet inuestiturae uniuersalis et particularis.

THES. X.

Uniuersalis, qua in comitiis, saepius sub dio, uel statim

statim, uel paullo post electionem et coronationem Imperatoris, omnes ac singuli Imperii Ordines partim ipsi inuestiuntur, partim huic actui, homagiali, *es ner Landes-Huldigung* / haud absimili, intersunt.

THES. XI.

Particularis, qua singuli separatim, alioque tempore, ac potissimum in curiis Imperatoris, hodie, in conclauo illo, quod uocatur *der Ritter-Saal* / uel in iudicio Imperatoris Aulico, reliquis Vasallis Imperii haud praesentibus, inuestiuntur.

THES. XII.

Curiae et comitia, stylo et usu medii aevi, differunt.

THES. XIII.

Inuestituram particularem hodie fere solum usas et obseruantia fert et comprobat: sed ea iterum, est uel solennis, uel minus solennis.

THES. XIV.

Ordinum Imperii solennis inuestitura non est nuda aliqua ceremonia, sed, ipso iure feudali Germanico, eis ius aliquod uel omnino confert, uel saltem conseruat.

THES. XV.

Omnia, quae in solenni inuestitura occurrunt, uel ad traditionem symbolicam pertinent, uel ad fidei clientelaris gratique animi declarationem, uel denique ad splendorem ac pompam, spectant.

THES. XVI.

Traditio symbolica est inuentum Juris humani, iure enim Naturali, ad translationem dominii, nulla est opus traditione corporali, uel imaginaria, sed solus sufficit consensus.

THES.

THES. XVII.

Traditio Symbolica Juris ciuilibus atque feudalis non differt Vlpianus Tit. XIX. §. 10. Jus F. A. c. 75. Sax. c. 39. II. F. 33.

THES. XVIII.

Vasallum per illam ius reale nancisci, atque inde eidem rei quoque uindicationem competere, certum est, per dictos textus.

THES. XIX.

Idem per attractum symbolorum acquiritur, uti apparet ex simultanea inuestitura, ac prope innumeris exemplis.

THES. XX.

Quare Erico Lauenburgico, post Alberti, ultimi è gente Ascanica, obitum, Electoratum Saxoniae postulanti, praeter cetera, ualde obstabat, ac Friderici Bellicosi bonae causae magno erat praesidio, quod Rudolphus Erici uexillo manus non admouerit.

THES. XXI.

Inuestitura simultanea à simplici, quod ad solennia, non differt.

THES. XXII.

Dominus, post Solennem inuestituram, poenitere nequit II. F. 26. §. si facta. id quod uulgo ex principio Juris Ciuilibus, obligatum ad dandum, praestando, id, quod inter est, haud liberari, perperam probant.

THES. XXIII.

In Feudis imperii uera traditione non est opus, sed sufficit symbolica.

THES. XXIV.

Opinio, omnia imperii feuda esse oblata, minus est distincta, adeoque merito reiicienda.

THES.

THES. XXV.

Status imperii territoria accipiunt, per solennem inuestituram, dignitates uero habent, uel per natiuitatem, uel beneficio Imperatoris.

THES. XXVI.

Symbola, in solenni inuestitura, ualent, ut nummi, uidelicet, ex usu et uoluntate Domini ac Vasalli.

THES. XXVII.

Symbola, pro lubitu inuestientium, posse mutari, experientia et usus testatur.

THES. XXVIII.

Si Papa Imperatori, uel aliis Regibus, coronam imponat, auferat, uel mittat, hoc non est symbolum inuestiturae, uel disuestiturae, nec indicium aliquod feodalitatis, sed fastus et arrogantiae papalis.

THES. XXIX.

Principem Imperii neminem posse fieri, nisi, qui uexillo, aut sceptro, sit inuestitus, falso creditur.

THES. XXX.

Per Fahnen Leben in A. B. c. v. intelliguntur Ducatus ac Principatus.

THES. XXXI.

In hac tam celebri controuersia distinguendum, puto, inter uexillum Imperii et prouinciale.

THES. XXXII.

Illud non habet rationem traditionis symbolicae, sed potius ad Vasalli, dum idem osculatur, attingit etc. reuerentiam, fidelitatem ac gratum animum, erga Senem, eliciendum et declarandum, pertinet, et olim promiscue adhibitum fuit.

THES. XXXIII.

Prouinciale uero uexillum inuestiturae interuenit,

B

tan-

tanquam symbolum traditionis, et potissimum Ducatus et Principatus significat; uel interdum, sed minime saepe, Comitatus, et Baronatus u.g. Si Duces et Principes de illis uel simul inuestiantur, uel ipsi alios inuestiant, imo aliquando, propter Comitatus, peculiaria uexilla Ducibus et principibus non fuerunt concessa, sed illorum insignia uexillo Ducali, uel Principali, simul inscripta, atque hac ratione Comitatus symbolice sunt traditi atque accepti.

THES. XXXIV.

Vicarii Imperii de comitatu, Baronatu etc. item de feudis Ecclesiasticis; Scepter Lehn / durante interregno, et eorum potestate, possunt inuestire propterea, quod illis, in A. B. horum feudorum inuestitura non est adempta.

THES. XXXV.

Quot dantur uexilla, tot intelliguntur concessae Provinciae, per uexilla enim antiquitus, teste Ottonis Frisingensi, L. II. c. 5. prouinciae, in feudum dari, fuerunt solitae.

THES. XXXVI.

Per prouincias, in Imperio nostro Romano Germanico, olim Ducatus ac Principatus intelligebantur.

THES. XXXVII.

Quae cum sint feuda primi ordinis, integra seu completa et indiuisa, uti sunt Ducatus et Principatus, optime haec, in chronico Laurishamensi, in uita Bennonis XXXII. Abbatis, apud Freherum, *Wolfehen* appellantur; ac, licet hic non, nisi feuda uexillifera intelligantur, retinenda tamen est natua uocis significatio, neque, cum Schiltero, ad Jus Alemann. uocabu-

cabulum **Wolleben** emendandum in **Wontleben**/ quasi **Wanleben**.

THES. XXXIIX.

Subfeuda, qualia olim fuerunt Marchionatus, Comitatus etc. particularia non sunt feuda completa, **Wolleben**; ergo nec sunt feuda uexillifera, proprie sic dicta. Etenim **Wolleben** et **Sahnen Leben**/ licet huius appellatio à ritu infeudandi, illius uero ab ipsa natura rei, sit desumpta, tamen unam eandemque rem denotat.

THES. XXXIX.

Marchiones et Comites olim Ducibus subfuisse, rerum docent gestarum monumenta.

THES. XL.

Dux, Marchio et Comes utroque iure feudali Germanico ac Longobardico non est unus idemque.

THES. XLI.

Priuilegium, quod, ex concessione Friderici III. Imperatoris, Regi Bohemiae competit, ne uexilla, post peractam solennem investituram, in populum, uti in Mauritiana aliisque moris fuit, dilaceranda, proiicerentur, sed ut integra atque illaesa Regi restituantur, non parsimoniae cuiusdam, sed singularis Praeeminentiae, habet rationem.

THES. LXII.

Non Mauritii, Saxonis, sed, ni fallor, Augusti, Electoris, inuestitura fuit ultima, quae est facta, per uexilla.

THES. LXIII.

Inuestituram, per uexilla, hodie esse sublatam, asseri certe haud potest, propterea, quod solus non unus non tollat ac mutet ius.

THES. XLIV.

Vexillo atque Sceptro, solennis secularium et ecclesiasticorum feudorum inuestitura distinguitur, sed non semper, interim tamen diuersa haec solennis inuestitura diuersa quoque feuda in dubio arguit.

THES. XLV.

Clerici, dum, retento tantum, in solenni inuestitura, sceptro, Laicis uexilla, gladium, hastam, reliquaque militaria signa, in Symbolum ac signum inuestiturae, reliquerunt, libidinem suam imperandi ac regnandi haud obscure produnt, uidelicet Laicos esse sedis Apostolicae milites, id est Vassallos, nec tam pro se, quam pro sceptro, oportere dimicare.

THES. XLVI.

En occultam ac ueram causam Aduocatae, quam Pontifex Imperatori concessit, Ecclesiasticae. Et enim, uel sine hac speciali concessione, quilibet Imperans iam est Aduocatus ac defensor, si religio auxilio humano indigeat, Ecclesiae, in suis terris ac regionibus habitantis.

THES. XLVII.

Controuersia inter Imperatores ac Pontifices, de inuestitura, per baculum et anulum, non fuit de ritu et ceremonia, sed de re ipsa.

THES. XLIIII.

In illa controuersia, Pontifices perperam inuestituram regalium cum confirmatione et inuestitura Ecclesiastica commiscuerunt.

THES. XLIX.

Feudorum Ecclesiasticorum inuestitura solennis fit

fit à Pontifice, per baculum rectum, ad Episcopo
uero, per baculum curuatum.

THES. L.

Sed de utroque baculo est uerum, quod dicit
Marner, uetus poëta nobilis:

Der frumber Stab der ist gewachsen zu einen
langen Speer.

THES. LI.

Annuli cum potissimus, in matrimonio contra-
hendo, sit usus, coniugium illud feudalicium, inter
Dominum et Vasallum, figuratum et allegoricum,
ex II. feud. LVIII. pr. notum, solennis, per annu-
lum, inuestitura quodammodo illustrat.

THES. LII.

Gladius et hasta regnum uel Ducatum, in solen-
ni inuestitura, antiquitus significauit.

THES. LIII.

Promiscuus est hodie gladii usus, magis ta-
men ille reuerentiae declarationis, quam traditio-
nis symbolicae, gratia, inuestiturae solenni adhibe-
tur.

THES. LIV.

Si in concessione feudi, cui nobilitas rei, seu in-
risdictio aliqua, cohaereat, dubitetur, ane quo-
que nobilitas personae fuerit concessa, ex facto Do-
mini ac symbolis, u. g. Si Dominus clypeum firmul
ac galeam, certis signis exornatam, dederit, cer-
tissimae, pro nobilitate personae, capiuntur con-
iecturae.

THES. LV.

Quod ad feudum aperturæ attinet, oblatio cla-
uium

uium est signum ac symbolum non nudi Vasallagii, sed subiectionis et supremæ potestatis.

THES. LVI.

Feuda sunt beneficia, itaque partim grato animo sunt accipienda, partim fidelitate et reuerentia Domino compensanda.

THES. LVII.

Feudum emptum est uerum feudum ac proprium.

THES. LIX.

Ritus ac solennitates superiorum ætatum, licet ab sæculi nostri elegantia et moribus paullum recedere uideantur, contra tamen decorum haud sunt, propterea, quod cuius æuo suum constet decorum, nonnisi ex illius temporis ratione iudicandum.

THES. LIX.

Id quod, pro defendenda maiorum simplicitate, iureque patrio, in pristinam dignitatem uiudicando, ceteroquin dico.

THES. LX.

Grati animi ac reuerentiæ declaratio, in solenni inuestitura, a Vasallo uel uerbis fit, uel factis, eisque uel nudis, uel intercedentibus, mentis significandæ ergo, certis symbolis ac rebus corporeis.

THES. LXI.

Armorum depositio, ante inuestituram, regulariter fit a Vasallo, in honorem et reuerentiam Domini, nisi Vasallus, coram Domino, propter rem contentiosam, compareat, quo casu, iure feudali Germanico, arma omnia, imo quoque occulta, uti cultellum, calcaria, et omne ferrum, uti loquitur uerus Autor, de beneficiis §. 36. p. 152. ideo illum oportet

portet deponere, ne Domino timendus ullo modo existat. Capitul. Caroli M. L. III. Tit. XII. *Sächs.* L. R. c. 68 Jus F. A. c. 118. §. 3. 4.

THES. LXII.

Sed, cum haec clam nocendi prauitas Italorum, magis, quam Germanorum, aperto Marte pugnare amantium, indoli conueniat, utrum haec sit genuina Iuris Germanici dispositio, haud immerito potest dubitari.

THES. LXIII.

Saxones, certo quodam sicarum genere, quae Sacken uocabantur, instructos, Thuringis aliquando, nimiam fidem illis habentibus, magnam cladem de improviso et clam intulisse, indeque Saxones esse, postea dictos, aequae est incertum, ac ipsa gentis huius nominisque illius, uera origo est incognita.

THES. LXIV.

Supplices Vasalli gestus, in petitione inuestiturae, subiectionem, stricte sic dictam, non indicant, sed tantummodo reuerentiam, et speciem quandam subiectionis,

THES. LXV.

Exceptio est in sub-feudis imperii, utpote in quibus, ex generali Iuris feudalis Germanici principio, uera subiectio haud deficit,

THES. LXVI.

Obsequii ac reuerentiae studium et solertiam, praeter cetera, Vasalli Domino quoque comprobant, per uestes, quae olim, secundum mores, ac Domini uoluntatem, Heraldico illius colore erant tinctae, ut multa diplomata probant,

THES.

eborn ollu sub THESES. LXVII. *noqsb ranoq*

Prudentiae est, ne Vafallus, ad inuestituram ueniens, maiori pompa ac uestium splendore, quam ipse dominus inuestiens, utatur; alioquin enim, hac ratione ipsius Vafalli dignitati insigniter detrahitur, uti cognoscitur ex inuestitura Ottocari, Regis Bohemiae, a Rudolpho Habsburgico facta.

THESES. LXIIX.

Genuum flexio in solenni quidem inuestitura, multo iam ante fuit, in Germania, cognita, atramen, quemadmodum illa hodie, in curia Imperatoris feudali, usu uenit, et maiestati Imperatoriae maxime congruit, eandem ab Hispanorum moribus, ex quo Hispania domui Austriacae accreuit, dimanasse, conicio.

THESES. LXIX.

Vafalli minores Germani, uti Comites etc. stantes, Itali uero, in genua prouoluti, inuestituram accipiunt, certo Germanorum, prae Italis, eminentiae documento.

THESES. LXX.

Priuilegium, quod nonnulli Vafallis regni Bohemiae tribuunt, ut cuius inuestiendi in dextro solum genu procumbere debent, certe probari non potest.

THESES. LXXI.

Hominium ligium maiori demissione, quam non ligium, praestatur.

THESES. LXXII.

Quando Imperatores olim, ex nimia ciuilitate, et reuerentia, Pontificibus, in equum conscendentibus, strepam tenuerunt, illud Imperatoris factam
a Cu-

a Curia Romana ad legis clientelaris uinculum mi-
nime potest trahi.

THES. LXXIII.

En praeterea factum Praesulis Romanensis, ca-
piti S. S. Imperii tam uile officium obrudentis,

THES. LXXIV.

Crucifixum, quod Rudolphus I. Ordinibus Im-
perii, in hominii praestatione, ut loco sceptri oscu-
larentur, tradidit, magis religionis, ac iurisiuran-
di, quam reuerentiae feudalis, rationem habuit.

THES. LXXV.

Iurisiurandi praestatio, in inuestitura, pertinet
ad naturalia feudorum, et feuda iniurata sunt feuda
impropria 2. F. 3. in f.

THES. LXXVI.

Hoc ipsum iuramentum fidelitatis, stylo iuris be-
neficiarii, hominum appellatur, (leg. Verus Autor, de
Beneficiis. p. 136. §. 120. et 130. seqq. Sächß. Lehn-
Recht c. 22. Schwab. L. R. c. 44.) germanice Mann-
schaft / unde ohne Mannschaft / significat ohne Le-
hens Pflicht.

THES. LXXVII.

Hinc mirum in modum abludit à uero Autor,
ille nouus, qui ius feudale Saxonicum in Misnicum
idioma transtulit, et in specie c. 63. seqq. ohne Mann-
schaft / reddidit ohne Unterthanen.

THES. LXXVIII.

Si dignitate superior ab inferiore, quemadmo-
dum Electores ab Episcopo Bambergensi, uel par
a pari, item dignitate quidem inferior, sed poten-
tia

C

cia non aequae, inuestiantur, hi iurisiurandi praestationi interdum sese subtrahere solent, et de ipsa reuerentiae declaratione maximopere remittunt.

THES. LXXIX.

Ceremoniae, ritus ac solennitates, quae in solenni inuestitura, circa iusiurandum, occurrunt, aliqua ex parte, multis implicitae sunt superstitionibus neque hodie eisdem plane carent.

THES. LXXX.

Primitivae Ecclesiae, moniti Servatoris, Matth. V. 37. conf. epist. Iacob. V. 12. haud immemori, iurisiurandi usus paullum fuisse incognitus uidetur.

THES. LXXXI.

Ritum, quo Vasalli, quando iuramentum fidelitatis praestant, manum uel digitos libro Euangeliorum imponunt, ex moribus Iudaeorum petendum esse, uero est simile.

THES. LXXXII.

Ante seculum IV. Evangeliorum, in iureiurando adhibitorum, nullum occurrit uestigium, postea uero crebra illius ritus, cum in Hist. E. tum in Iure Canonico et Ciuili fit mentio, legatur C. 3. Q. 9. c. hortamur etc. to. C. 1. Q. 7. c. quoties 9. l. 19. §. 1. C. de Iudiciis l. 2. C. de iureiurand propter Calumn. l. 7. §. 5. 6. de curat. Furios. Nouel. 74. c. 5. 123. c. 7.

THES. LXXXIII.

In ueteri Ecclesia, iam ante Traiani tempora, quatuor Euangelia fuisse agnita, contra Daduuelum, rerum in Ecclesia gestarum diligentes scrutatores

tores Ioannes Clericus, in dissert. 3. sub finem, Harm. Euangel. §. 7. et Iacob. Basnage H. E. P. II. lib. 8. c. 4. ostendunt.

THES. LXXXIV.

Mihi, quid haec forte sibi uelit tam diuersa iurisiurandi solennitas, diuinanti, uero haud abfimile uidetur, ideo hoc fieri a Clero Romanensi, ut Laicis persuadeat, in suo corde solum latitare et quae-renda esse mysteria diuina, et omnia, quae, ex hoc cuiusuis generis cogitationum communi latibulo, in medium ore proferantur, Laicis regulas ac leges uiuendi pariter et credendi esse oportere.

THES. LXXXV.

In inuestitura, Clerici, pectori, Laici Euangeliorum libro, manus imponunt, A. B. Tit. 2. pr.

THES. LXXXVI.

Sed merito subit mirari, qui fiat, ut Clerici, Laicos ad SS. Euangelia, cum tamen biblicorum lectio illis non sit integra, appropinquare et accedere, patiantur.

THES. LXXXVII.

Clerici ab iureiurando haud sunt immunes, ac fides illa Pastoralis, uti appellatur, in rebus alicuius momenti, non admittitur, redolet enim distinctionem ordinis et plebis, quam Ecclesiae autoritas iam tempore Tertulliani constituit.

THES. LXXXVIII.

Augustanae confessioni addictis, quod ad has caeremonias, omni superstitione non uacuas, attinet, Recessus Imperii 1555. §. *Serner nachdem* u. in fin. plenam libertatem tribuit.

C 2

THES.

THES. LXXXIX.

Distinctionem inter hominum, quod flexis genibus manibusque, suppliciter inter domini manus insertis, praestatur, et fidelitatem, quae tam magnam reuerentiam et uenerationem non requirit, sed sola est bona mentis contestatione contenta, clerici Romanenses, omne imperium humanum aegre ferentes, excogitarunt, atque illud Laicis semper recusarunt.

THES. XC.

Hominum nihil aliud est, quam ipsius fidelitatis praestatio, siue iuramentum de fidelitate, et gentium dissensus, circa externos ritus, qui hanc rem religiosam circumstant, eam ipsam non mutat.

THES. XCI.

Quamobrem Iacobinus de S. Georgio, in peculiari tractatu, de homagio, Bocerus de inuestitura, reliquique huius diuisionis defensores ac patroni, misericordia magis, quam confutatione, sunt digni.

THES. XCII.

Naturae haec opinio alia, nihilominus stabiliendae monarchiae Papali inserviente, distinctione, uidelicet, qua Clerici a Laicis separantur, posito enim uno absurdo, sequuntur plura.

THES. XCIII.

Quando Hispaniarum Reges, uti regni Neapolitani possessores ac Domini, inde a tempore Ferdinandi Catholici, Romano Pontifici equam albam, ephippio et ornamentis, ex holoserico rubro, ornata, ac septem millia aureorum, quotannis soluerunt, haec non sunt symbola recognitionis domini

nii

nii directi et declarationis fidelitatis, sed potius liberalitatis ac munificentiae cuiusdam singularis, cum nonnulla ueneratione, erga sedem Apostolicam, coniunctae, documenta.

THES. XCIV.

Vel saltem hoc factum est, per supersticiosam, quandam illius temporis persuasionem, ueris rationibus politicis omnino contrariam, qua Reges ac Principes orbis inducti, regna sua ac ditiones, Ecclesiae beneficio possidere, gloriae sibi ducebant.

THES. XCV.

Exempla sunt in promptu, u. g. Henrici III. Imperatoris, qui, regno Hungariae expugnato, illius insignia, lanceam coronamque, pro gloria triumpho sui, ad corpus D. Petri transmisit.

THES. XCVI.

Osculum manuumque datio et porrectio, inter uetustissima Germaniae nostrae fidei dandae pignora iure sunt meritoque numeranda.

THES. XCVII.

Osculum, in inuestitura, quae, secundum Gregorium Hintze, integro tractatu, de coniugio feudatitio, Ienae 1680. edito, loco benedictionis sacerdotalis est, usitatum, coniugium illud analogicum, amplius illustrat.

THES. XCVIII.

Honoris ac reuerentiae, Domino omni modo contestandae, omnino interest, ut Vasallus, inuestituram petiit acceptumque, ipse ueniat, neque alium, huius rei, tam magni momenti, suo nomine

gerendae, causa, uel inuito domino, uel sine priuilegio quodam, mittere licet.

THES. XCIX.

Electores Bauariae et Colonienſis, quod, poſt reſtitutionem ſuam, inueſtiturae repetendae cauſa, ipſos, quemadmodum tamen, ultima pace cum Rege Galliarum, praeter cetera, erat cautum, uenire haud oportuerit, illud benignitati et clementiae Imperatoris tribuere debent.

THES. C.

Priuilegiorum, quibus Archiduces Austriae, ſupra fere modum, in ſolenni ſua inueſtitura, gaudent, licet una eademque manu haec feuda hodie conceduntur accipiunturque, tamen eſt omnino egregius uſus.

THES. CI.

Imperator, ubicunq; ipſi placeat, u. g. in eſſenem Luſſiſchloſſe/ Jagdhaufe &c. Procerum inueſtituras poteſt ſuſcipere, propterea, quod hoc ſolenne negotium, non eſt adſtrictum ad comitia, ſed in curiis quoque poteſt peragi.

THES. CII.

Pro ſaeculi indole, maxima fere ſolennis inueſtiturae pars pompa et ſplendore abſoluitur, nihilo tamen minor ille fuit, ſaeculis, paullo ante ſuperioribus.

THES. XCIII.

Pertinet huc ſolennis equitatio, qua olim Vaſallus, inueſtiendus, magno reliquorum Conuaſallorum numero et coetu circumdatus, ad ſolennem inſendandi actum ſe conferebat, ac Domino, tam
artem

artem scientiamque equitandi, quam officia eque-
stria praestandi solertiam, omni ratione common-
strare annitebatur.

THES. CIV.

Quae tamen equitatio, cum Vasalli Imperii, in
primis maiores, ad inuestituram non amplius ue-
niant, neque officia equestria ipsimet subire soleant,
multas quoque alias ob causas, commutata iam est
cum solenni unctione rhedarum, dem Rutschen
fabren.

THES. CV.

Si tamen dicere liceat, quod res sit, equitatio ma-
iorem certe et maiestatis et fortitudinis speciem
prae se fert, et interdum maximopere commen-
dat; huius rei probandae ergo, in medium adduco
uel solam Regis nostri, multo Clementissimi, Inau-
gurationem Regiam, et inprimis duos aureos num-
mos, in hanc rem cufos, quorum unus Serenissi-
mum Potentissimumque Regem nostrum, habitu
Sarmatico, alter Romano, indutum, et egregie equi-
tantem, sistit.

THES. CVI.

Solennis equitationis pompam reliqui Conuasalli
et Ordines Imperii, dum inuestiendum Vasallum,
non uero Legatum ipsius, magno equitatu comi-
tabantur, maximopere augebant.

THES. CVII.

Hi Conuasalli cum tantum, pompae augendae
gratia, solenni infeudandi negotio olim interfuerint,
sane Doctores nonnulli Iuris feudalis, qui ultra
mores

mores Longobardicos non sapiunt, perperam hodie in illa inuestitura, Pares Curiae, necessario adhibendos esse, inde concludunt, adiuti, uti credunt, textu II. F. 23. pr. etc.

THES. CVIII.


Cessante hodie, uti dictum, solenni equitatione, comitatus quoque ille reliquorum Principum in defuetudinem abiit: legati tamen, qui inuestiturae gratia sunt missi huic rhedarum uestioni, quae hodie in usu est, imo ipsi inuestiturae, ut coetus ac pompa augeatur, alios quoque, harum rerum solennium cupidos, interesse interdum patiuntur.

THES. CIX.

Equus ille, quo Vasallus olim in solenni equitatione usus erat, post peractam solennem inuestituram, Sub-officiali Archimareschalli, una cum omnibus ornamentis, in praemium cedere solebat.

THES. CX.


Hodie loco illius equi X. Marcae argenti, uel CXX. floreni sunt soluendi, quae pecuniae summa utrum Principibus et Ordinibus Imperii hodie sit digna, Doctores disceptant.



Wittenberg, Diss., 1720



f
sb.



101.
174

Q. D. F. E. I.
THESES INAUGVRALES 1724
DE

15
12

EO, QVOD IV-
STVM EST CIRCA IN-
VESTITVRAM SOLENNEM

PRAESIDE

GODFR. LVDOVICO
MENCKEN

D. PROF. PVBL. COLLEGIORVM IVRIDI-
CORVM QVAE VITEMBERGAE FLORENT
NEC NON IVDICII PROVINCIAL. IN MARCHIO-
NATV LVSATIAE INFERIORIS
ASSESSORE

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
QVANDO COMMODVM ERIT CAPESSENDI

D. FEBR. c 15 15 CC XX.

LOCO ET HORIS CONSUVETIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT
PARITER AC TVETVR

M. CHRISTIANVS HANACCVS
VITEMBERGA-SAXO

VITEMBERGAE

TYPIS CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TVE.